


G R S


IVS
PICTVS
CHARACTERES


1371

bo
Ullm S. e. 222

Thol. K. IX. 1089.







A B I V R A T I O
M V L T O R V M E R -
R O R V M H Æ R E
T I C O R V M ,

P V B L I C E E T S P O N -
T E E D I T A A D . I O A N N E M A T -
hæo Grillo Ciue Sa -
lernitano ,

*Coram Illustrissimo Cardinale Ar -
miniacco, & Reuerendissimo Ar -
chiepiscopo Auenionense, alijsq[ue]
Prælatis uirisq[ue] primarijs ec -
clesiasticis & se -
cularibus.*

Adiecta est eiusdem epistola, qua causæ re -
uersionis ad fidem catholicam
exponuntur.

M. D. LXV

O I Abiuratio nis ratio seruata.

HÆC abiuratio acta est 11. Cal. Augusti (qui dies diuæ Mariæ Magdalenaæ sacer est) in sacello palatij Apostolici Auenionensis; cùm D. Ioannes Matthæus Grillus Salernitanus flens se ad pedes Illustrissimo & Reuerendissimo Cardinali Arminiaco in Auenione legatione collegæ abiecisset, assidentibus Reuerendissimo Archiepiscopo Auenionensi, & R.P. Bernhardo Berardo Theologo, & Inquisitore generali eius legationis, & R. Magistro Joanne Nicolao Senatore in foro Auenionensi, & Judice, & Commissario generali contra hæreticos & suspectos: præsentibus item D. Illustrissimo Scipione Vimercato equite ordinis Christianissimæ Maiestatis, & nobilibus Dominis, Consulibus, & Assessore eiusdem Vrbis, & Domino Laureo præside curia Galliæ Narbonensis, & Domino præside fori Auenionensis, & frequentissima honestissimorum hominum tam Ecclesiasticorum quam laicorum corona. Quibus omnibus audientibus, cùm D. Ioannes Matthæus hæreses & errores clara voce abiurasset, & iniunctam pœnitentiam receperisset, aduocatus Fiscalis generalis S. Domini, & sanctæ fidei Catholicæ, pro re totius fidei Christianæ, publicum instrumentū poposcit & obtinuit. Ea verò acta excepta sunt per Vincentium Siffredū Notarium publicoribus totius palatij Apostolici cau-

1
causa de re M. G. 1500

2
latis professum

ABIVRATIO.



Go Ioannes Matthæus
Grillus cùm iam septi-
mum annū in hæresi Cal-
uinistarum, quos Hugo-
nottas vocant, agerem,
tandē diuinitus permo-
tus decreui ad vestræ Il-
lustrissimæ ac Reueren-
dissimæ Amplitudinis pedes accidere, vt pro
ea potestate, quam à Sancta sede Apostolica
accepit, possim absolutionē impetrare à la-
queis detestabilium errorum, quibus partim
assensus sum, partim me assentiri ostendi ac
simulaui.

In primis igitur, cùm principem quondā
Salernitanorum diu secutus essem, confiteor
memet in eos laqueos incidisse, tum vt prin-
cipi exul ego à patria obsequerer, tum præci-
puè propter mea peccata id Deo permittéte.

Initio inductus sum in errorem, non cre-
dendo meritum operum Christianorum, &
quamuis me conscientia coargueret, sæpi-
simè admonens, Deum ac dominum nostrū
velle nos suis iussis & præceptis obtēmpera-
re, si modò cœlum consequi velimus, et eius
infinitum meritum neq; Turcis, neq; Iudæis,
neq; hæreticis, aut alijs infidelibus, neque itē
Catholicis in peccato persistentibus, quic-
quam

A 2 quam

quam prodesse, propterea quod non stude-
rent se per fidem viuam, quae per charitatem
operator, dignos reddere; Tamen lapsus sum
in errorem, cum de veritate querere neglige-
rem, & eos consulete, a quibus poteram rem
omnem perdiscere, id quod postea feci, &
quidem, Christo gratia, maximo cum fructu.
Huius autem erroris & peccati veniam hu-
milater & suppliciter a Deo Domino nostro
& a vestra amplitudine postulo.

Purgatorium negavi, quamuis & fides
vniuersalis Ecclesie, quae errare non potest,
& doctorum omnium constans perpetuaq;
consensio, & verbum Dei, quemadmodum
postea didici, & firmiter credo, me ad cre-
dendū, & animas præcipue meorum paren-
tum pijs suffragijs iuuandas, ut antea face-
re consueueram, adducere debuissent.

Omisi & negavi venerationē & piū usum
sanctorum imaginum, Sanctorum patroci-
nium, sacrarum reliquiarum cultum, indul-
gentiarū thesaurum; & honorē, quem pon-
tificatui & Apostolicę sedis auctoritati debe-
bam, habere neglexi: quam quidem auctori-
tatē, & si animo nunquam negavi omnino,
quod videlicet viderem eam tam apertè a
Christo domino nostro institutam, & sem-
per ab vniuersa repub. Christiana agnitam
et receptam fuisse, postposui tamen falsæ au-
toritati

ctoritati hæreticorum, quam ipsi per vim & fraudem sibi assumpserunt. Confiteor me Ecclesiæ sanctæ ieunia violasse ac neglexisse, sacra vota contempsisse, quibus nunc ad Christianam perfectionem adspirari, planè perspicio, hæreticoru libros legisse, cùm potius fideles & veteres testes Ecclesiæ Catholicae euoluere debuisse, eosq; potissimum, qui cum primis Apostolorum successoribus proximi extitissent, veritatē me docere, atq; expressam veræ Catholicae q; Ecclesiæ Romanæ faciem ostendere potuissent.

Omnis propemodū Caluini errores saltē implicitè amplexus sum, temerè adhærens potius opinioni vnius hæretici & apostatæ, quām firmissimæ fidei vniuersali, quæ in verbo Dei benē intellecto fundata est, & ab omnibus domini Dei nostri cultoribus & amicis suscepta, ab omnibus sanctis generalibusq; Concilijs explicata, omnibus seculis & toto orbe ab vniuerso populo Christiano probata & conservata: veritatem tamen sanctissimi Eucharistiæ sacramēti, Dei beneficio, nūquām negauī; quin potius semper integrē sincereq; credidi, ipsummet corpus & sanguinē Christi domini nostri, post consecrationis verba à sacerdote prolatā, esse in sacratissima hostia, credēs semper, quemadmodum nunc credo, vt cùm maximē, Ie-

A 3 sum

sum Christum, qui est omnipotens Deus,
quiq; per os omnium Euangelistarum, &
D. Pauli & vniuersæ Christianæ Ecclesiæ,
hunc sanctissimum cibum nobis dare se vel-
le dixit, verissimè & re ipsa, vt pollicitus est,
ita in ijsomet sanctissimo Sacramento præ-
stare ac tradere, in quo etiam Sacramento,
(quòd me diuina misericordia non omnino
destituisset) credidi ipsum corpus & sangu-
inem verè ac re ipsa existere, quamuis aut ho-
mo illo non vtratur, aut is, qui vtitur, & pro-
cibo sumit, omni careat fide: siquidem in-
telligebam, & nunc quām maxime credo,
hanc veritatem non ex fide, sed ex virtute
omnipotentis verbi & institutione existere,
inuiolabiliterque pendere; sed quemadmo-
dum diuina bonitas hoc mihi largita est, vt
crederem; ita me multo grauius peccasse cō-
tra diuinam Maiestatem, cōtra sanctos eius,
& contra vniuersam ecclesiam sentio; quòd
nihilominus, vt principi gratificarer, fabu-
losam & verè diabolicam cœnam hæretico-
rum septies sūmpsi, pollicens prius eius in-
fœlici ministro, me assensurum vniuersæ do-
ctrinæ, quam ipse eiusq; secta profiteretur.
pro quo scelere misericordiam diuinam im-
ploro, & à vestra Illustrissima Amplitudine
veniam posco.

Qua propter ex toto animo abiuro, dete-
ctor,

stor, anathematizo has omnes & quascunq;
alias hæreses ; me sponte ac liberè subiçies
grauissimæ cuiq; pœnæ, si posthac vñquam
relabar, atque coram omnipotente, vero, &
vno ac trino Deo, coramq; Beatissima Vir-
gine matre, & vniuersa cœlesti curia, vobis-
que Illustrissimo & Reuerendissimo domi-
no Cardinale, & Reuerendissimo Archiepi-
scopo, & vobis, D. Inquisitore, & D. Nicolao
Sanctæ Inquisitionis Commissario, coram
deniq; his omnibus nobilibus viris, et popu-
lo, iuro et profiteor me cupere ac velle omni-
no diuinę Maiestatis ope atq; præsidio viue-
re ac mori in gremio sanctæ Ecclesiæ Catho-
licæ Romanæ sub obedientia Sanctę sedis A-
postolicæ eiusq; ministrorū, credens & prō-
ptissimus ad cōfitendū ore & corde, vniuer-
sam doctrinā iustificationis, originalisq; pec-
cati, septem Sacramentorū nouę legis, rituū,
& ceremoniarum eius, sanctissimi Missæ sa-
crificij, Purgatorij, indulgentiarum, voto-
rum, Apostolicarum & Ecclesiasticarum tra-
ditionum, quicquid deniq; sancto Tridenti-
no Concilio, & fidei confessione cōtinetur,
quam sancta memoria Pij iiiij. iuxta eiusdē
Concilij decretum in lucem edidit.

A 4 EPI-

EPISTOLA D. IOANNIS MAT-
thæi Grylli Salernitani, ad R.P. Fratrem
Matthæum Gryllum ordinis
Sancti Dominici.

ADMODVM Reuerende Frater ac
Pater, iamdiu nihil ad tuam Reuerē-
tiam scripsi; huius verò diuturni silē-
tij causa fuit, non tam locorum, quibus dis-
iungimur interuallum, quām mea multis ab
hinc annis à sancta fide catholica, atq; à Dei
Domini nostri Ecclesia alienatio atq; defe-
ctio; ad quam me diuina Maiestas secundūm
diuitias suæ misericordiæ, cùm primum re-
uocauit, & tuam Reuerentiam certiorem fa-
cere volui, & hanc epistolam, quam tibi gra-
tissimam fore non dubito, imprimendam
curauī; vt hac ratione meo etiam officio sa-
tisfacerē, quod me hortari, & impellere de-
bet, tum ad ea, quæ meo improbo exemplo
publicè dedi, damna resarcienda atq; præ-
stanta; tum ad elaborandum, vt veritatis lux
clarior splendeat, vnde Iesu:s Christus magis
cognoscatur, cognitusque colatur.

Multis iam annis, vt tua Reuerentia non
ignorat, sum principem Salernitanum secu-
tus, qui hoc in regno cùm esset, hæresis tandem
irretitus est laqueis, opera videlicet cuiusdā
mulieris, qua cum illi diuturna fuit consue-
tudo,

tudo, per quam non aliter hæretici principē
corruperunt, quam olim per Euam Sathan
Adanium elusit, ac circunuenit. Et, quod fe-
rè fit, vt eorum quibuscum versamur & con-
fuescimus, mores imitemur, ego miser ab iis-
dem sum deceptus hæreticis, ita, vt per septē
annos illorum sīm secutus errores, non tamē
sine perpetua animi mei perturbatione ac
tempestate. Tandem post multas clementif-
fimi Dei admonitiones, & eas cogitationes,
quas crebras mihi hæreticorum mores atq;
actus obijciebant, Lutetiæ Parisiorum cùm
ellem, ad sanctæ ecclesiæ gremium redire de-
creui, atque hoc animi mei propositum &
desiderium Reuerendissimo Domino Epi-
scopo Cenetiæ, apud Regem Christianissi-
mum Apostolico nuncio, aperui & exposui.
Quod vt exequi possem, vitamque in Chri-
stiana pietate quietam & tranquillam agerē,
recepī me in Agathensem vrbē Galliæ Nar-
bonen. ad quosdam ex Regno Neapolita-
no nobiles viros, vbi à Reuerendissimo illius
vrbis Archiep. admonitus, intellexi ad diui-
nam gratiam & misericordiam planè pro-
merēdam & consequendam me non opor-
tere secreta aliqua & obscura pœnitentia es-
se cōtentum, sed faciendum mihi esse, vt me
in locum aliquem celebrē & illustrem trans-
ferrem, vbi me conscientiæ satisfacere pos-
sem.

A 5 sem.

sem. Itaq; pridie Cal. Octobris anni superio-
ris ex vrbe Agatheñ. Auenionem discessi, vt
meos errores apud Illustrissimum & Reue-
rendissimū Cardinalem Arminiacum pu-
blicè abiurarē, & pœnam quamcunq; mihi
ille pro iure et potestate legationis irrogasset,
admitterem atque dependerem; verūm vbi
ad montem Peſſulanum perueni, cùm eam
vrbem hæretici occupassent, me quoq; ca-
ptum nō modò spolarunt, sed etiam, quam-
uis mei aduentus causam penitus ignorarēt,
tamdiu tamen detinere voluerunt, quamdiu
illa vrbe, quam cum alijs Regi suo rebelles
inuaserant potiti sunt; qua restituta, confe-
ſtim sum Auinionem profectus, vbi & veri-
tatem penitus accepi, opera ſcilicet, diligen-
tiaq; Illustrissimi Cardinalis, qui me de om-
nibus erudiendum edocendumque curauit;
et palām ac publicè hæresin abiuraui in eum
modum, quem ſuprà huic epistolæ præscri-
bi volui.

Vera & præcipua meæ conuerſionis cau-
ſa proculdubio Dei ac domini nostri beni-
gnitas extitit, qui vt sua sapientia ſuauiter
omnia diſponit, mihi huius prorsus execra-
bilis hæresis gulfum paulatim adimebat, at-
que in viam rectam ac regiam, quam cūctus
populus Christianus ſemper terens ad cœlū
contendit, me, quaſi tacita & interna voce
reuocabat.

reuocabat. Hos cælestes monitus et si diu re-
pudiavi, quod homines nimis carnalis
libertatis illecebris deliniti, & fædæ volupta-
tis quasi visco inhærescentes sese ad spiritua-
lium rerum sublimitatem erigere, & attolle-
re nequeunt, aliquando tamen recepi, adiu-
tus, ut mihi persuadeo, precibus & patroci-
nio Beatissimæ Virginis, totiusque ecclesiæ
christianæ, & tua præcipuè charitate & pie-
tate, frater obseruande, qui, ut ex tuis literis
cognoui, Sanctissimo Missæ sacrificio conti-
nenter à Deo meam cōuerzionem efflagita-
sti. Multa præterea, quæ mecum quotidie co-
gitabam, & nunc etiam cogito, me vehementer
in fide catholica confirmarunt, quæ res,
vellem equidem, ut quieto, tranquillo & at-
tentu animo ab illis perpenderentur, qui in
ijsdem errorum tenebris, & inextricabilibus
labyrintis versantur.

Prima est, hæreticorum inter ipsos dissen-
sio tanta, ut non solum mutuo anathemate,
dum alij aliorum doctrinam inuicem dete-
stantur, sed etiam armis decertent. Seditio
Antuerpię nuper exorta, vbi Lutherani con-
tra Caluinistas arma ceperūt, huius rei exem-
plum suppeditat, quod quidem factum me-
rum ad inconstantiam atq; dissidium istorū
cogitandū excitauit, qui tamen suam quisq;
sectam in specie Euangeliū tuentur, tum ad
perspi-

perspiciendum infinitum Dei iudicium, qui vindicauit se de his inimicis suis; & tandem vtraq; illa secta vnā cum alijs Anabaptistarum, Adamitarū, & similiū pulsa est, salua & incolumi Catholica & prisca religione, atque auitam possessionem retinente.

Altera, cùm hæretici nullum alium Iudicem, quām sacrā Scripturā se recipere profitantur, tamen res eò tandem euadit, vt id solum in mediū proferatur, quod Caluinus Caluinistis, Lutherus Lutheranis, Zuinglius Tigurinis, atq; item alij hæresiarchæ suis discipulis scripserūt, aut tradiderunt; neq; verò interim apud istos aut cōstantis consensionis sanctorum patrum, aut generalium Conciliorum, quæ ex toto orbe ad fidei dogmata sanciēda, & quæstiones profligandas coacta sunt, aut perpetui testimonij Christianæ doctrinæ vlla prorsus ratio habetur, quamuis hec omnia fuerint tot miraculis, tot sanctorū hominum martyrio, tanta pietate, vitaque probitate comprobata, diuturno deniq; studio veræ solidæque sapientiæ cōfirmata, quæ tandem de omnibus erroribus, quos à Christi ortu Sathā vnquā in orbem inuexit, semper magnificè triumphauit.

Tertia, sacræ Scripturæ translationes amplius septuaginta, exque inter se plurimum discrepantes, paucis annis à nonnullis hæreticis

ticis prodierunt, cùm veteres illi septuaginta interpres vnam duntaxat eandemq; penitus consentientem ediderint. Catholica quoque ecclesia multis iam seculis vna tantum vtitur translatione, quæ non minus ad animorum catholicorum cōcordiam, quām ad vniuersi orbis Christiani pacem conservandam facit: dummodo ne aliæ temerè admittantur.

Quarta, in omnibus sacrorum Bibliorum voluminibus & exemplaribus, quæ hæreticorum opera edita sunt, videre est, non solū plerisque capitibus falsa præscripta lemma-ta, atque adulterinas inscriptiones, quibus mens longissimè aberrat à ditiini verbi intelligentia: verūm etiam in margine eiusmodi apposita scholia, & glossemata, quæ Christo apertè aduersantur, siue de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, siue de re alia quauis agatur.

Quinta, maior est illis religio opinionem mutare, & fidei Iesu Christi rationem, mentemque subiectam & obedientem præbere, quām diuinæ Scripturæ verba negare, mutilare, deprauare, & immutare. Testes sunt mei oculi, atque aures, testes libri Lutheri, Caluini, ipsa denique Biblia, si cum priscis translationibus conferantur.

Sexta, Veteres ac sancti doctores quamuis longis-

lōgissimis regionum interuallis inter se dis-
iuncti essent; tamen de dogmatibus, & mo-
ribus Christianis, vno eodemque modo vna-
que quasi lingua locuti sunt, & scripserunt:
hæretici autem locis inter se alioqui propin-
qui & finitimi, opinionibus tantum distant,
vt alter alteri aduersetur contrariaq; sentiat
& doceat; Ita Caluinus Oecolampadij, Oe-
colampadius Lutheri, Lutherus Carolstadij,
Carolstadij Dauidis Georgij, Georgius
Suēcfeldij doctrinā oppugnat, ac labefactat:
atque idem obseruare licet in ijs septuaginta
hæresibus, quæ hac infœlici tempestate Dia-
boli opera, & hominum scelere ab inferis
extiterunt.

Septima, hæretici summo studio libros ve-
terum sanctorum scriptorum comburunt &
abolent; quos tamen magnopere laudāt, vt
scilicet rudibus hominibus, quos deceperūt,
persuadeant sua dogmata illorū scriptis ful-
ciri, & confirmari. Sed vbi ad rem et certamē
aliquando ventum est, nullus vñquam hære-
ticus mihi probare aut ostendere potuit. D.
Augustinum contra Missæ sacrificium, cōtra
Purgatorium, contra sanctorum vatrocinia,
contra alia denique christianæ fidei capita
scripsisse. Quod autem de D. Augustino di-
co, idem de cæteris sanctis patribus intelligi
volo; quorum ne vnam quidem chartam in
linguam

linguam vernaculam conuertendam aut ex-
cludendā curarunt pro tot mendacijs, & tam
impijs erroribus, & sacrilegijs, quæ quotidie
edunt, vt hac vanitatis offusa caligine, lon-
gissimè semper à luce catholicæ veritatis
aberrent.

Ostaua, nunquām dederunt operam, vt
ex quatuor illis vetustissimis cōcilijs aliquod
prodiret in lucem, quamuis horum cōcilio-
rum auctoritatem apud se tantam esse videri
velint, vt in confessione, quam nobis propo-
nebant, ea recipi & admitti à nobis iuberent.
Sed miseros nos, qui tam stultè ac stolidè ad
æternam perniciē à quatuor hominibus du-
cebamus: at quibus hominibus? nequissi-
mis, orthodoxæ religionis desertorib⁹, profli-
gatiſſimis transfugis, pditissimis Apostatis.

Nona, omnes istos recētiores errores iam
priscis temporibus, vt hæreses, səpius explo-
ſos fuisse didici & confutatos. A quibus ve-
rò? à sanctissimis nimirum Pontificibus &
martyribus, cùm prius à plerisq; Theologis
vniuersi orbis, & doctoribus accuratè & gra-
uiter ijdem errores agitati, & postea totius
ecclesiæ populiq; Christiani consensus esset
consecutus. Videat quæſo, & attendat vir do-
ctus, quid de antiquis hæresibus Epiphanius,
Theodoreetus, diuus Augustinus (vt cæteros
omitram) prescripſerint, ſiquidem hoc ve-
rissimum

rissimum esse demonstrant, vtinam & ego
illos iam antè legissem.

Decima: vidisse nostra ætate generalem
Synodum Tridétinam, ad quam cùm sæpius
ex omnibus Regionibus atque oris Episco-
pi catholici per medias hæreticorum, & infi-
delium prouincias, atque vrbes profecti cō-
uenissent, tamen neque de negotio catholicæ
religionis dissenserunt, neq; mortem metue-
runt (cùm in periculosisimo loco confedis-
sent) neque dignitatis, aut aliarum rerum ia-
cturam vel incommode timuerunt, nulla
denique vi terreri potuerunt, quo minus ve-
ritatem profiterentur, & veræ reformationis
studio contra cuiusvis potentiam liberè, atq;
fortiter tuerētur. Contrà, ex altera parte nul-
lus hæreticorum, quamuis fidem publicam
obtinuisse, & eadem synodus in loco ab il-
lis expetito haberetur, ausus est vñquam ac-
cedere, vt in medium suas opiniones profer-
ret, quæ erant, sicut ipsi iactabāt, ipsamet ve-
ritas, ab ipso scilicet Spiritu sancto profecta.

Vndecima: nullam hæretici inter se syno-
dum, seu potius conciliabulū egerunt, quod
vel ad vnum mensem durarer, aut probare-
tur, ac reciperetur. Testes sunt conuentus
Vormatiensis & Marpurgensis sub Carolo
quinto imperatore habiti, in quibus diuersa-
rum hæresum ministri nulla omnino ratione
in

in vnam potuerunt ire sententiam. Testis rur-
sus, ceterus istorum in pago Possiaco nostra me-
moria collectus, unde Petrus Martir, Beza,
& Merloratus inter se mutua contentione di-
scordes discesserunt, nec aliud quidquam con-
fectum reliquerunt, nisi pestiferam ambitio-
nis faciem, quae penè innumerabilium Gal-
lorum animos & inflammat antea, & nunc
etiam vehementer inflamat.

Duodecima, Nemo vñquam hereticus
Christianam fidem, seu religionem uspiam
primùm statuit, sed contraria, institutam evolutit
frequenter ac sustulit, qui mos istorum est
proprius.

Decimatercia, non est inter istos verus al-
quis historicus, neque quicquā tale à suis im-
primi aut edi permittunt, sed quædam solum
chronica, aut rerum gestarum compendia,
quas ipsi historias ecclesiasticas vocant; in
quibus auctores, quos adducunt, quo pacto ab
rudibus & imperitis legentur, cùm apud il-
los nec excludantur facile, nec in maternam
linguam vertantur, sed vel suppressantur, vel
de medio prorsus tollantur? Prætereo mēda-
cia, commenta, fraudes, nugas, tenebras, qui-
bus & clarissimam antiquitatis lucem ob-
scurare, & suam vanitatē apertæ veritati an-
teferre conantur.

Decimaquarta, Res quæ preter ceteras me-
B cōmo-

comouit, ea est, quod animaduerti id iuris &
potestatis, quod Pontifici maximo & Epi-
scopis alijs, quasi pietatis studio ducti, aut, ne
Christi auctoritas minuatur, veriti, detrahunt,
sibi tandem impudenter sumunt, atq; arro-
gant, vnde passim diuertia iubent, noua cœ-
næ domini (vt ipsi loquuntur) & baptismos
rum genera & ritus instituunt, plenarias in-
dulgentias, & iubilæa ijs potissimum elargi-
untur, qui sacrilegijs, templorū spoliatione,
decimarum prædatione, virbium oppidorūq;
direptione, cædibus & omni genere crudeli-
tatis ceteros antecedunt: quid? nonne ijdē &
nouam ministrorū formā excogitārūt, quos
Gebennam mittunt, vt nouas sibi bullas ac
diplomata impetrent: & catholicæ fidei, quæ
in baptismo Christo fuit obstricta, abiuratio-
nem à singulis exigunt: & publicas pœni-
tentias iniungūt, & grauiter ac seuerè inqui-
runt in eos qui decreta & sanctiones mino-
ris, et maioris senatus Gebennensis contem-
nunt, ac violant: & priuilegia concedunt,
quorum beneficio liceat maritis & hæreticis
habitum induere clerici, monaci, Episcopi;
Bullas dant, & diplomata ad ineundam be-
neficiorum, quæ ad ipsos nullo modo perti-
nēt, possessionem. Cuiuis ministro amplissi-
mam absoluendi tribuūt facultatem sine ul-
lius criminis exceptione. In matrimonijs la-
xanc

Xant habenas potestatis, in quo uis gradu affinitatis, et cognationis, & multitudine uxorum, Mahometano more, ac ritu, cum quae secta his vitæ institutis & moribus ita cōsen-
tiūt, ut mirandū nō sit, si non ita pridē in Pá-
nonia à quopiā Bassaio, & proximè Constā-
tinopoli ab ipsomet Turcarū tyrāno, ad per-
niciem Christiani nominis auxiliū petierūt.

Decimaquinta, ut omnem penitus vitæ libertatem, quæ mera est et turpissima seruitus existimanda, retinerent, antea negabant se, aut à rege, aut à magistratu aliquo ad Missæ sacrificium, ad conciones catholicas audiēdas, ad reliqua ea prestanta compelli posse, quæ Deo iam inde ab ipso baptismo sancte promiserunt: cùm tamen ijdē isti noui prædones, posteaquam vrbes ceperunt aut occupatas tenent, quam innumerabiles, et quidem inuitos, & religione repugnantes, tamē gladio & fūste ad illos execrabilis & sacrilegos coetus vrgere & compellere ausi sunt: quam multos item immanissimis tormentis excruciatos necārunt?

Decima sexta, ex istorum ministrorū impuro atq; impio ore, nihil aliud vñquam audiui, quam contra tum sacros, tum profanos magistratus conuitia & maledicta, libros verò similis petulantiae, contumeliae, contumacia, arrogantiae refertos, fœdissimis atque

B 2 odiosissi-

odiosissimis inscriptos titulis: non virginitatis, pænitentiae, iejuniorum, sanctæ paupertatis, votorum, omnium denique virtutum; cuiusmodi inscriptionibus veteres scriptores suos libros commendarunt, ac exornarunt.

Decima septima, tatum abest, ut quidquā certi ex ipsis acceperim, vt etiam, quidquid mihi dicebant, id aut impudens mendaciū, aut fraudulentam dissimulationem, aut meram prorsus hypocrisī esse compererim. Quod maximē in monte Pessulano detentus perspexi, vbi ea mēdacia, ipsis met auctōribus sparsa ferebantur, quæ vix cuiquā in mentē venire posse videantur. Et quidē his mendacijs & commentis usi sunt, & ad exigendas extorquendasq; pecunias, & ad milites, homines, imperitos & simplices, continendos in armis, quæ quamobrem sumpta essent, ne ipsis quidem satis constabat.

Decimaoctaua, animaduerti tandem, ac sensi minimē mirum esse, si ad hæreses suas probandas, atque persuadendas, Euangelij: ad ecclesiam labefactandam, & euertēdam, Ecclesiæ & religionis nomen usurparēt; cūm ad rem bellicam, legitimorum principum & nomine abuterentur & potestatem interim inuaderent, & assumerent.

Decimanona, ex tanto studio verbi Dei, quod isti sequi se, & explicare iactat, nunquā neque

neque maiorem populorum erga suos principes obseruantiam & obedientiam , neque puriorem castitatem, neque maiorem vitiorum fugam, neque frequentiorem sacramentorum usum , neque seueriorem vita disciplinam, neque victum parciorem , neque vultum deniq; veræ solidæq; virtutis signum aut indicium deprehendi.

Vigesima; ex istis ministris neminem vidi, qui tot rebus per vim ablatis cuiquam suorum religionē iniecerit, vt eas restitueret ; cū catholica ecclesia nō prius potestatem libertatemq; ne sui quidem corporis, vlli permittat, quam omnia reddenda curet, etiam Iudeis, nedum Christianis.

Vigesimaprima, Hæresis, vt suam ditionē riveatur, ac seruet, modò Euágelij & religionis nomen, vt dixi , modò peculiaris aduersus aliquam illustrem familiam cōtentionis titulum , modò cōmunis boni causam pretendit ; & tamen, quantum cōmodi attulerit Reipub. aut, quam concordiam, seu religionem polliceatur per has rationes et prēsidia, quibus hactenus vñ sunt hæretici, luctuosa & funesta Germaniæ , Heluetiæ, Angliæ, Scotiæ, & huius Regni calamitas docet.

Vigesimafecunda , nunquam accepi hæreticos honestam & legitimam, & bonis rationibus partam victoriam reportasse : sem-

B 3 per

per autem victos fuisse, ubi nulla fraude prodicioneque niterentur. Eius rei testis est D. Mōfortiensis, qui mille hominibus ad honorem sanctissimae Trinitatis distinctis, tum confessis, & Eucharistiae sacramento confirmatis & munitis, centum millia Aragonensium, qui hereticis Albigensibus auxilio venerat, adoratus, ad xx. millia interfecit, reliquos fugauit ac fudit, illorum Rege occiso, cum ex suis catholicis non amplius septem vel octo defiderasset. Testes Christianissimi Reges Galliae, qui religionis causam ex animo suscepit contra Arrianos, aliosue haereticos, aut contra Saracenos & Turcas, nunquam defenderunt, quin Dei exercituū, qui superbos semper dispersit, auxilio freti, multas & præclaras victorias obtinuerint. Testis Carolus V. qui viator ad flumen Albim exercitū hostium cōcidit, eorumque Ducem fæliciter cepit; ut omittam Heluetios, qui numero quingenti, decem millia hostium vicerunt, tum, cum esset Zwinglius interfectus; & illa in Bohemia cētum millia rusticoruū celeri internecione delecta. Iam de recentibus victorijs nihil dico, quæ & maiores. & illustriores extitissent, si à catholicis copijs ea pietate, quam quotidiani institutionibus catholica docet ecclesia, studioque diuini honoris pugnatum fuisset, aut si veri tantum catholici sine haereticorum colluione

colluione, aut sine societate prudentiū hu-
ijs seculi, delecti ad præliandum fuissent,

Vigesima tercia, ministrorum, quos vocat,
& aliorum hæreticorum opera & studio, vi-
di Caluini ac Beze imagines per totam penè
Galliam disseminatas, vt in Germania Lu-
theri, Ioannis Hus, Melancthonis, cùm in-
terim isti nos idololatras appellant, quod
summa pietate ecclesia sacras Iesu Crucifixi,
Beatissimæ Virginis, & aliorum sanctorum
ac Beatorum signa, imaginesque proponat,
quarum aspectus nostram memoriam ad re-
ligionem, & omne virtutis excitat genus.

Vigesima quarta. Quemadmodum Chri-
stiana & catholica ecclesia sua habet marty-
rologia, quibus Apostolorum mors atque obi-
tus continetur, & eorum, quos in actis Apo-
stolicis S. Lucas cōmemorat, vt D. Stepha-
ni, & cæterorum, sic hæretici sua item mar-
tyrologia (si hoc tam honesto nomine sunt
appellanda) composuerunt, quæ in curijs &
senatibus sunt, non exempla virtutum, sed
criminum, ac scelerum cōmentarij, & ca-
pitales libelli: quibus illorum hominum ob
adulteratam pecuniam, ob seditionē, ob hæ-
resin, & alia id genus scelera, pœnæ, suppli-
ciaque à Christianissimis principibus decre-
ta atque imposita continentur; & tamen in
ijs ipsis martyrologijs tātum abest, vt Apo-

B 4 stoli,

stoli, aut alterius sancti cuiuspiam, aut ipsius Christi vitam inserere voluerint, ut propter intestinum in ecclesiam catholicam odium, ne pueris quidem sacro fonte ablutis, Petri, Pauli, Barnabæ, Augustini, Antonij, Francisci, & horum similium nomina patiantur imponi.

Vigesimaquinta. In Calendarijs, quæ suis psalmis prescripta & apposita habet, isti pro Christi Natali, Funere, Paschate, proq; martyrum nece, & festis diebus Beatisimæ Virginis matris Iesu, festos dies iudaicos collocarunt, homines synagogæ atq; vimbræ, quam ecclesiæ ac lucis studiosiores. Itaque apud istos iam cōplures reperies hebræis, aut ethnicis nominibus appellari, ut vel hinc conieeturam facere possis, quo loco habeat Christi legem.

Vigesimasexta, tam dissimilis precadi ratio ac ritus istorum & ecclesiæ catholicæ; si quidem heretica precatio ab infelicissimo & perditissimo quoque, vel ab aliquo puerō in medijs plateis, ac compitis, & ex psalmis per Marottum translatis, & multifariam deprauatis habetur, in quorumuis hominū frequentia & colluione: cum nostra catholica in templis habeatur cultui diuino dicatis, id que nō temel in die, sed septies, quemadmodum sacris litteris admonemur, adeò, ut ad medium

medium usque noctem, cum maxime tenebrarum potestas viget, hora nulla penè præterfluat, quin plurimis in cœnobijs viri, fœminæq; seorsum psalmos, laudesque Domino Deo nostro, totique curiæ cœlesti sanctissimè concinant.

Vigesimaseptima, reipsa comperi & vidi omnes hæreticorum cōuentus, consilia, æaria, eleemosynas, surueglians, ut vocant, ministros diseniers, diaconos, nil aliud præse ferre, quam euocatorum militum multitudinem ad arma excitatā, ut inde videlicet fructus oriantur iij, quos multæ prouinciæ, dum indulgent nimis, atque conniuent, maximo suo malo sensere.

Vigesimaoctaua, si quis genus & rationem eorum vel concionandi vel plebis ad arma vocandæ diligenter attenderit, nihil denique aliud ab eis agi reperiet, nisi vt imperitorum vitæ, animæ, fortunarum periculo & damno, libertatem illam suam & apostasiam tueantur: cuius retinendæ causa nūc ad arma cōfugiunt, qui se nuper in cœnobijs ab omnī calamitate, solius Dei, legumque præsidio defendebant,

Vigesimanona. Animaduerti præterea, in ecclesia catholica prædicationem verbi Dei nunquam defuisse, & quidem eo linguæ sermonisq; genere, quod ab omnibus posset in-

B 5 telligi,

telligi, & ne in ipsis quidem quantumlibet
contemptis pagis, post euangelium, recita-
tionem Decalogi, Symboli Apostolici, & ora-
tionis dominicæ: nisi quis forte populus per
fragilitatem aut aliquam animi peruersitatem
audire recusans, apud se consuetudinem hac
tam latè patentem extinxerit. Illud verò mi-
hi præcipue stimulos ad conuersionem ad-
mouit, quod cerneré quam pulchro ordine
ex ecclesiæ instituto per totum annū repræ-
sentatæ, quas Euangelium describit, actiones
Iesu recurrent: ut nullus tam Idiotæ reperi-
atur, cuius animus ad pietatem accendi non
possit ex natuitate, circuncisione, apparitio-
ne, passione, resurrectione, ascensione Iesu,
missione Spiritus sancti, festo sanctissimæ
Trinitatis, corporis Christi in sacrosancta
Eucharistia, & aliorum huiusmodi, quæ ex
Dei verbo sancita sunt.

Trigesimo deniq; loco, ut alia multa præ-
terea, istorum qui se nouos iacent Evangel-
istas, & Apostolorū, & qui verè Euangeli-
stæ fuerunt, quique illis successere, vitæ mo-
risque vniuersi dissimilitudo. Illi enim ab he-
remis, ab ieunijs, ab omni paupertate & ca-
stitate ad promulgandum nobis euangeliū
prodiere, doctrinam suam aut expresso Dei
verbo, aut veris miraculis approbantes, aut
publico legationis suæ testimonio, ab ijs ad
quos

quos apostolicum eligendi ius, apostolicaq; doctrina perpetua & legitima successione peruererat: at verò noui Euangelistæ, à cibilibus plenis incæstuū monialum, quæ Deū ipsum repudiârunt, ab omni vita intemperantia, sine diuini oraculi testimonio, sine miraculis, sine legatione, in concionē ascendunt, mercésque suas vendunt quām carissimè, siquidem pro simplici catholicoque cōcionatore, qui paupertatē & voverit, & Deī beneficio colat ac tueatur, circumueniuntur rudes ad alendas vniuersas familias Ministerorum eorumq; diaconorum, suruegliās, quibus argentum à templis fanisque erexit non fuit satis ad incredibilem explendā cupiditatem: catholici verò submissè sine humanis opibus, sine vi, Euangelium disseminarūt, populosq; dicto audientes vel ipsis tyrannis reddidere: Iſti autem armis, vi, contumacia omnem defectionem calamitatemq; aggrediuntur inuehere. Illi templa ædificada, loca Deo dicata exornanda curabant; Iſti more Vandolorum, Gottorum, Iudæorū, illa ipsa demoliuntur, lapides & ornamenta non ad pietatem, nō ad tenuiorum egestatē conferunt, sed quisque sibi vendicat ad egressarū ex claustris Monacharum, lectorum, corporūmque suorum cultum, quæ prius diuino cultui seruiebant.

Atque

Atque hæ quidem sunt causæ, quæ me ad pristinam religionem reuocarunt, cùm illud etiam me acriter incitaret, quòd tandem videbam eos, qui inter hæreticos ita reformationis Christianæ Reip. studiosi videbantur, magis ab ijs episcopis vel prelatis iuuandis abhorrere, qui illam studēt inducere. Ita, si quis Monachus rebellis sit, multos inueniat adiutores, vt Abbas tandem aut cedere, aut in perpetuum disceptare cogatur. Huc accessit, quòd hæreticos homines animaduerteram doctioribus, sanctioribusq; Pontificibus, alijsque sacris hominibus, & ijs religiosorum ordinibus, qui accuratius pauperatatem, & reliqua vota excolunt, quique plus populos doctrina, sacramentisque iuuant, & fouent, acriores esse & infestiores inimicos; itaque fructus iam hypocrisis & simulationis apparent, sicui non planè cor obduruit, intelligentiæque lumen extinctum est.

Quibus rebus, alij item multi ad catholicam se religionem referunt, iamq; in Narbonensi Gallia, demortuis hæreticorum ducebūs, qui rudiores metu continebant, facti sunt catholici ad quingentos. In eiusdem provinciæ oppido Aquis sextijs procurator quidam Regius hæresin summa sua voluntate publice, & abiurauit, & detestatus est. Arelate præterea vir quidam nobili loco natus

tus idem omnino fecit. In ea item parte Gal-
liae Narbonensis, quæ vulgo Languedoc ap-
pellatur, huiusmodi exempla quotidiana
cernuntur, ac propemodum iam innumerabiles eo sunt animo, ut ad ecclesiam catholi-
cam edicto aliquo regio reuocari & cogi cō-
cupiscāt; residet enim in illorum animis ne-
scio quid humani pudoris atque consilij,
quod nomen aliquod excusationemque de-
siderat apud eos, quibus hæreticos se fore
professi sunt. Tum ego minimus omnium,
cūm nullius iussum expectare deberem, qui
in iussu omnium mea ipse malitia religionem
deserueram orthodoxam, ad eandem sum-
mo cum animi ardore me recepi, sperans di-
uinam mihi maiestate pro sua clementia
daturam stabilem, æternamq; constantiam;
quocirca & iam te R. P. oro atque obsecro,
ut Deum, sanctosq; omnes, ut mihi semper
adsint, preceris. Has literas Polixenæ vxori
& omnibus propinquis, amicisq; nostris cu-
pio esse communes. Deus autem & dominus
noster nobis pro sua benignitate & clemē-
tia benedicat, atq; ad suum gregem oues re-
ducat errantes, in quibus ego tamdiu nume-
ratus sum. Auenione. 9. Cal. Augusti. 1568.

Vestræ Reuerentia Frater
obseruantissimus


Ioannes Matthæus Gryllus.

DILINGÆ

**Impreßum ex certa scientia et vo-
luntate Reuerendiss. Domi-
ni Ordinarij.**




Wolphartus Mairiparus Cratifer



AB:153229

(X1998607)



Farbkarte #13

B.I.G.



A B I V R A T I O M V L T O R V M E R - R O R V M H Æ R E - T I C O R V M ,

P V B L I C E E T S P O N -
T E E D I T A A D . I O A N N E M A T -
thæo Grillo Ciue Sa -
lernitano,

Coram Illustrissimo Cardinale Ar -
miniacco, & Reuerendissimo Ar -
chiepiscopo Auenionense, alijsq[ue]
Prælatis uirisq[ue] primarijs ec -
clesiasticis & se -
cularibus.

Adiecta est eiusdem epistola, quæ causæ re -
versionis ad fidem catholicam
exponuntur.

M. D. LXV